Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

predicationis fomento curabunt et sanabunt. Sequitur textus. Reliqua autem sermonum achab et universa que fecit et domus eburnee quas edificavit cunctarumque urbium quas extruxerat. nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum israel. Dormivit ergo achab cum patribus suis et regnavit ochozias filius eius pro eo. Sermones achab et universa que fecit in libro describuntur. quia verba et opera populi iudaici in veteri testamento recensentur. Domus eburnee quas edificavit. cuncteque urbes quas extruxit. sunt diverse per mundum ecclesie. a primis predicatoribus populi iudaici prophetis et apostolis propagate. Nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum israel. Liber verborum est vetus testamentum. quod sonoritas littere perstrepit. Liber dierum est novum testamentum. quod lux allegorie et veritatis precedit. Qui liber regum israel esse dicitur. quia in veteri et novo testamento regitur. qui mundatis oculis cordis deum videndo verus israel efficitur. Achab cum patribus suis dormit. quia populus iudaicus in fine conversus. in fide patriarcharum et prophetarum requiescet. Ochozias filius eius pro eo regnat. qui fortitudo domini sonat. quia populus iudaicus in cultu cerimoniarum legalium placere se deo estimat. Sequitur textus. Iosaphat filius asa regnare ceperat super iudam quarto anno achab regis israel. Triginta quinque annorum erat cum regnare cepisset. et xxv annis regnavit in iherusalem. Nomen matris eius azuba filia salai. Et ambulavit in omni via patris sui. et non declinavit ex ea. fecitque quod rectum est in conspectu domini. Veruntamen excelsa non abstulit. Adhuc enim populus sacrificabat et adolebat incensum in excelsis. Pacemque habuit iosaphat cum rege israel. Reliqua autem verborum iosaphat et opera eius que gessit et prelia. nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum iuda. Sed et reliquias effeminatorum que remanserant in diebus asa patris eius abstulit de terra. Nec erat tunc rex constitutus in edom. Iosaphat domini iudicium dicitur. per quem christus dominus exprimitur. cui omne iudicium a deo patre traditur. Qui filius asa scribitur. quod populum tollens vel levans dicitur. quo vetus testamentum exprimitur. sub quo christus nascitur. Anno quarto achab regis israel. iosaphat filius asa regnare ceperat super iudam. quia post patriarchas. post legem. post prophetas quibus synagoga regnat. christus natus et passus regnare incipit super gentium ecclesiam. Triginta quinque annorum est iosaphat cum regnare incipit. quia christus xxx annorum ad baptismum venit. quo predicatione sua regnum ecclesie provehit. Quinque anni qui supersunt quinque libros moysi exprimunt. qui eius incarnationis et passionis mysteria describunt. Viginti quinque annis in iherusalem regnat. cum perfectione veteris ac novi testamenti sanctam ecclesiam. ut quamlibet fidelem animam in quinque sensibus consummat. Nomen matris eius azuba filia salai. Azuba relicta vel deserta dicitur. per quam synagoga infidelitate sua deserta exprimitur. de qua christus secundum carnem nascitur. Que filia salai scribitur. quod missa dicitur. per quam lex vel prophetia intelligitur. de qua synagoga in dei cognitione gignitur. Iosaphat in omni via asa patris sui ambulat. quia christus omnem iusticiam veteris testamenti consummat. finis enim legis christus. ad iusticiam omni credenti. Non declinat ex ea. quia non veni inquit legem solvere sed adimplere. Facit quod rectum est in conspectu domini. novum hominem opponens veteri homini. Veruntamen excelsa non abstulit. quia christus in institutione novi testamenti. veteris testamenti institutionem spiritalem non destruit. Adhuc enim populus sacrificat et adolet incensum fidei spei et dilectionis in excelsis. veteris testamenti mysteriis. Iosaphat pacem cum rege israel habuit. quia christus populum iudaicum in patriarchis et prophetis dilexit. Reliqua verborum iosaphat et opera eius que gessit et prelia. nonne hec scripta sunt in libro verborum dierum regum iuda. Verba iosaphat et opera eius describuntur. quia sermones et opera christi in euangelio commemorantur. Prelia eius describuntur. cum sacramenta incarnationis eius referuntur. quibus victoria redemptionis peragitur. Qui liber verborum dierum regum iuda esse dicitur. quia verba et opera eorum ex euangelio diriguntur. quo deum veraciter collaudando reges terre sue efficiuntur. Iosaphat reliquias effeminatorum aufert de terra. quia christus omnem dissolutionem carnalitatis spiritus sui gratia removet a sancta ecclesia.